







PARTITIONVM
Theologicarum
DISPUTATIO XXX,

De
CAPITE EC-
CLESIAE ET PONTI-
FICE ROMANO IN SPECIE.

*In inclutâ & Florentissimâ Academia Witteber-
gensis proposita,
PRÆSIDE*

M. IACOBO MARTINI
Professore publico:

Respondente
FRIDERIGO SENGEBÄHRO
Cellensi Saxone.

*Ad diem Septembr. Horis locog,
consuetis*

Sumtibus Clementis Bergeri
Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.





V I R O

*Strenuo & bellicâ virtute splendidi-
dissimo*

VVULBRANDO

A Stöckheimb.


Nobilitatis Saxonicae Equiti Primario : Hære-
ditario in Limber, Domino ac Mæcenati
meo observantissimo.

*Theologicum hoc γύμνασιον
inscribo & consecro.*

Fridericus Sengebahrus
Cellâ-Saxo.
Respondens.



Typus hujus Disputationis.





DISPUTATIO XXX.

De
Capite Ecclesiae & Pontifice Romano
in specie,

CONTINUATIO.

Cenerale Ecclesiae requisitum,
quod in autoritate consistere di-
ximus, haecenus fuit. Consequens
est, ut specialiora videamus, quae
duo potissimum esse videntur, Ca-
put & Regimen.

Thesis. I.

Corpus Ec-
clesiae qua-
le.

Corpus esse Ecclesiam, non quidem Physicum, vel ma-
thematicum; sed mysticum, constat ex Epist. Pauli 1. Cor.
10. vers. 17. ἐν σῶμα οἱ πολλοὶ ἔσμεν: & cap. 12. v. 12. Quem-
admodum corpus unum est. & membra habet multa, omnia verò membra
corporis unius, multa cum sint, unum sunt corpus, sicut & Christus: &
Coloss. 1. v. 18.

2. Ergò caput habeat necesse est, à quo dependeat, alatur,
foveatur, regatur; quandoquidem unicuique corpori anima-
to suum est corpus.

3. Caput hoc aut est unicum, aut est duplex, vel multi-
plex.

Unicum

4. Unicum id esse Scriptura nos docet: ut enim non est ἀκέφαλον, sic neque πολυκέφαλον Ἰησοῦν.

5. Est enim Ecclesia unum corpus Eph. 4, v. 4, & quidem non monstrosum, sed formosum. cap. 5, v. 27. Ergo etiam unico duntaxat capite præditum est, cum multa in uno corpore capita ἀταξίαν & monstrositatem gignant.

6. Quomodo etiam multorum capitum mortis interventu sibi succedentium, capax esse posset? cum toties sibi moriendum foret, quoties per mortem suo privaretur capite: & toties reviviscendum, quoties novum caput reciperet. Verum quid hoc monstruosius?

7. Unicum hoc caput est Christus qui caput est Ecclesiae suae, sicut vir uxoris & contra Eph. 5, v. 23. Vir est caput uxoris, quem admodum Christus est caput Ecclesiae, & idem est, qui salutem dat corpori, ite Eph. 1, v. 22. 23. Eum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiae, quae est corpus illius, complementum eius qui omnia in omnibus implet. Eph. 4, v. 15. Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, in quo totum corpus augmentum facit. Col. 4, v. 10. Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primas tenens. item Col. 2, v. 10. Et estis in illo completi, qui est caput omnis principatus ac potestatis.

8. Unde intelligitur, Christum caput Ecclesiae suae unicum dici & esse, partim ratione perfectionis & efficaciae, partim ratione officii & dogmatis.

9. Ratione perfectionis quidem; Quia solus verus Deus & verus homo est; Unus enim Deus. unus etiam conciliator Dei & hominum, homo Iesus Christus. 1. Tim. 2, v. 5. qui est Immanuel, hoc est, nobiscum Deus, Matth. 1, v. 23. primasque tenet in omnibus Col. 1, v. 18. & 2. v. 10.

10. Ratione efficaciae. Quemadmodum enim caput totum corpus singulaque ejus membra pulcherrimo nexu continet, illisque vitam sensum, motum, imò omnes rerum gerendarum nervos suppeditat; ita etiam Christus Ecclesiae suae vitam spiritualem Ioh. 5, v. 58. cap. 10 v. 10. vigorem, sensum, motum

Caput Ecclesiae est unicum.

Unicum caput Ecclesiae est Christus.

Christus quomodo caput unicum Ecclesiae.

1. Ratione perfectionis.

2. Ratione efficaciae.

motum Iob. 18, v. 1, 2. Eph. 4, v. 15. & omnes denique agendi vi-
res Esa. 26, v. 12, & 45. v. 24. Iob. 15, v. 4, 5, 6. abunde largitur
& communicat:

Vt sit iam penitus carnalis originis exors

Qui membrum est Christi capitis, qui in corpore vivit,

A quo subiectos vigor omnis manat in artus,

Et sic quaeq; suo vegetantur in ordine partes,

Vt quod agunt, & dispositis quod motibus explent,

Ex illo possint, qui summa atque ultima patens,

Vt nos infereret summis, se miscuit imis.

Ut quidem Prosper Aquitan. canit in libr. de ingratis v. 938.

3. Ratione
officii.

11. Officii ratione: Quemadmodum enim caput in corpore
supremum obtinet locum, ita nihil sublimius est imperio Chri-
sti (Dan. 2, v. 22.) ad summam dignitatem & maiestatem erecti
Matth. 28, v. 18. is enim solus Rex, Propheta, Sacerdos summus
est, qui praesidet Ecclesiae dominatur & eminet. Apoc. 1, v. 6.

4. Ratione
dogmatis.

12. Dogmatis ratione: quia per solum Christum Deus no-
bis notum fecit mysterium voluntatis suae, juxta beneplacitum
suum ἀνακέφαλιώθης τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ, ut omnia sub
unum caput reduceret in Christo, quae in caelis & in terra sunt. Et solus
Christus hujus unius ovilis pastor est Iob. 10, v. 16. imò ἀρχιπῶ-
μην princeps pastorum est, affirmante vel ipso Petro 1. Pet. 5, v.
4. cum ipse princeps pastorum apparuerit; nempe hoc vult dicere Apo-
stolus: nullum in mundo esse pastorum principem praeter ipsum
Christum. Atque hinc factum est, ut Patres Carthaginienses
(5. Concil.) decreverint, ne primae sedis Episcopus appellaretur
Princeps sacerdotum, aut summus Sacerdos, aut aliquid hujus-
modi. Primi quoque patres & Episcopi Romani ab hujusmodi
appellatione abstinuerunt.

13. Quia igitur sufficienter demonstratum est, quod & quo-
modo Christus sit unicum suae Ecclesiae caput ejus per se cadit
ἀντιθεσις, illud duplex vel multiplex constituens.

14. Quo-

14. Quocircà horrendum magnæ meretricis Babylonicæ *ἑδελύμα* est & abominatio, quod genuino huic & unico Ec-
clesiæ capiti ac fundamento, aliud commentitiū, nothum, spu-
rium & adulterinū supponere non est verita, nempe seipsam,
hoc est, Papam Romanum, qui sit supremus monarcha in re-
gno Ecclesiastico.

Papa Ro-
manus nul-
lo modo
est caput
Ecclesiæ

15. Hæc igitur blasphemia quia veritati Christianæ è dia-
metro est opposita; & verò contraria (ut Philosophorum ha-
bet canon) juxta se posita magis elucescunt: hanc Pontificio-
rum opinionem breviter examinare libet.

16. Quod ut commodè fiat videbimus primū, quid Pon-
tifex Romanus non sit, nempe quod non sit caput sive monar-
cha Ecclesiæ. Deinde quid sit: nempe Tyrannus & Antichri-
stus ipse.

17. Primam quæstionem ut rectè evolvamur, vestigia Bel-
larmini prementes, videbimus primū in genere; *An status sive*
regimen Ecclesiæ sit Monarchicum: & Deinde. *An Pontifex dici possit*
vel caput vel Monarcha Ecclesiæ.

18. Circa prius ut rectè versemur primū examinabimus
Bellarmini *ὑποθέσεις*: Deinde controversiam ipsam tractabi-
mus.

19. Hypothesis prima est: 1. *Vnam eandemq; esse Politia & Eccle-*
sia administrationem. 2. *Monarchiam esse optimam Republ. for-*
nam; Data enim & concessa primà hypothesi, per se sequitur
optimam Reip. formam regimini Ecclesiastico attribuendam
esse; Ergò monarchicam quod vult altera *ὑπόθεσις*. Verum
utraque nullius momenti vel ponderis: prior enim *ἀπὸ λῶς*
falsa est i. quia regnum Christi non est, de hoc mundo; quo-
modo igitur id, quod in mundo optimum est, in illo quoque e-
rit optimum: potius contrarium videtur. Ut enim Eccle-
sia omne id, quod in mundo splendidum & magnum est, con-
temnere debet ita quoq; monarchiæ splendorem mundanum
debet negligere nec appetere.

Non est en-
dem Poli-
tia & Ec-
clesia ad-
ministra-
tio.

20. De

20. Deinde; quia regnum Ecclesiæ est mysticum, quod totum mundano opponitur. Ergò etiam ratione formæ.

21. Antecedens probatur 1. quia Mystici regni caput in cælo est, licet quædam ejus membra sint in terrâ: Politici verò, quod magistratus constituit, totum unâ cum membris suis in terrâ versatur 2. Illius caput in individuo perpetuum est; hujus non; sed uni decedenti aliud succedit. 3. Corpus mysticum fide & Sacramentis connectitur, uniusque Ecclesiæ membra sunt, qui fidem eandem, eademque Sacramenta habent, licet degant in locis longissimo intervallo distitis, nec alios, atque alios ritus ac pastores sive Episcopos habent, 1. Eph. 4. Contra Reip. membra magistratibus & legibus continentur & ununtur: unde quod magistratum & legum diversitates: tot quoque modis variant civitates & Respubl. 4. Corporis mystici partes sunt filii Dei, ac non tantum vivi & præsentis in hac vitâ, sed etiâ defuncti & futuri in alterâ vita; Respub. v. tantum præsentis vitæ terminis includitur, & solos præsentis pro membris agnoscit, 5. Corpus mysticum vinculo spiritus; at Reipub. corpus legum vinculis constringitur & continetur.

22. Tertiò; Quia una est Ecclesia Catholica & ejus membra singula, (licet magno locorum intervallo disjuncta) unius sunt civitatis; Contra multa sunt regna politica, multæ Respublicæ, quæ nullo vel legum vel magistratum vinculo connectuntur.

23. Quartò. Ut una est Ecclesia; itâ etiam unum caput, pastorem & regem habet Jesum Christum Heb. 13. Contra ut Respublicæ sunt multæ, ita etiam multi sunt magistratus, multi reges; & per consequens, ut ibi una regiminis forma, ita heic varia & multiplex.

24. Quintò. Quia Ecclesia nullis certis locorum aut temporum terminis seu finibus circumscribitur, Psal. 2. Daniel 9. Respub. contra certos habet fines ac limites, ut Philosophus testatur lib. 8 polit. c. 4. *μεγέθους μέτρον, ὡπερ καὶ τῶν ἄλλων πάντων ζώων*, sua omnibus civitatibus certa ac definita est magnitudo

rudo & mensura ut alijs animalibus omnibus. Et Cicero in orat.
Agrar. contra Rullum inquit: Nullum regnum fuit unquam, quod non,
si minus iure aliquo, at regionibus tamen certis contineretur.

25. Sextò: Quia Ecclesia vel infinities rebus mundanis mu-
tatis, perpetuò manet, quippe fundata super petram immobi-
lem, unde adversus eam portæ inferorum non prævalebunt.
Matth. 16. Monarchiæ contrà & optimæ quæque Reipub. Varijs
mutationibus sunt subjectæ, imò sæpenumero funditus intere-
unt; ut non sine causa dixerit Cicero, ut *etatis varios flexus, sic*
Rerumpub. plures esse conversiones; Ubinam hodiè regnum populi
Israëlitici? Ubi optima Assyriorum, Persarum, Macedonum
imperia? Fuerunt.

26. Septimò. Quia multa in Politia sunt optima, quæ ne-
quidem licita sunt in Ecclesia. Ut hominem facinorosum co-
ercere vi externa in Politia est laudabile & necessarium Rom. 13.
v. 4. in Ecclesiâ est illicitum Matth. 26. v. 52.

27. Octavò. Quia Politiam administrare est regnare; At
Ecclesiam administrare non est regnare, sed servire: Unde Ec-
clesiæ administratores non Domini, sed ministri Ecclesiæ; il-
lorumque officium, non dominium, sed ministerium rectè di-
citur. A regno igitur ad servitutem nulla erit consequentia.

28. Tandem datur quoque finium diversitas; in Ecclesiâ
enim animarum salus spectatur; in Rep. verò externa pax, &
utilitas civium mundana.

29. Cùm igitur tot & tantis discriminibus Ecclesia & Res-
publica distent, summa non tantùm stultitia sed insania est, in
Ecclesiæ formâ constituenda à Rebus publicis humanis exem-
plar capere, quæ nullis Politicis insistit principijs, nullis hu-
manis erigitur consilijs, nullisque hominum subjecta est legi-
bus.

30. Frustra igitur quærit Bellarm. Quæ sit optima Reip.
forma Stulta est tota illa, quam de Monarchiâ & aliarum Re-
rumpub. formis instituit, disputatio, quia *ὁ δὲν τοῦ εἶναι*.

31. Adde quod Monarchia quidem dicatur optima, sed non
εἰς τὸν κόσμον; Verùm duntaxat certis observatis respectibus. i. qua-

Monarchi-
a dicitur

B

tenus



optima Rei tenus suo modo ad gubernationem divinam accedere; 2. *Qua-
pub. forma* tenus naturale magis unius quam plurium imperium & 3. *qua
πῶς* tenus constantissimum & tutissimum videtur.

*Vitia Mo-
narchia.* 32. Habet nihilominus maxima sua vitia, ad quæ facile
potest inclinare; Facile enim in Tyrannidem Monarchia de-
generat, cum is, qui dominatur, communi salute neglecta, suas
tantum opes ac dignitates respicit.

*Quinq; Mo-
narchia
species a-
pud Aristo-
telem.* 33. Deinde *Aristot. lib. 3. Polit. c. 11.* quinque Monarchiæ speci-
es enumerat. Prima heroicis temporibus floruit, quæ hodie
nulla est. Altera apud Barbaros & Turcas, non apud homines
liberos & Christianos locum habet, meram enim Tyranni-
dem sapit. Tertia *αἰσυμνητεία* vocatur, & nihil est aliud, quam
sponte suscepta, probata ac à populo confirmata Tyrannis, un-
de merito ab Alcæo reprehensa est, *Arist lib. 3. Polit. c. 10.* Quarta
παρβασιλεία dicitur cap. 12. In quâ Rex legibus solutus, o-
mnia pro arbitratu administrat. Talem Monarchiam Persæ
probasse videntur, quibus omne Regis verbum lex erat. *Dani-
el. 6.*

34. Jam examina omnes hasce species; fateberis posteri-
ores quatuor simpliciter vitiosas esse. Priorem planè impossi-
bilem. Mente quidem eam cogitare facile erit, inter homines
verò eam dare, longè difficilimum. *Rara enim merx virtus heroi-
ca, & rara avis heroum soboles.*

35. Hæc porrò si conferas cum Aristocratiâ; non dubito te
ultrò largiturum, quòd, licet Monarchia in uno atque altero
anteferenda sit Aristocratiæ, nihilominus huic vicissim in-
multis alijs illa cedere cogatur.

36. Controversiam ipsam quod spectat, nolo heic repe-
re prolixam Bellarmini Disputationem de Monarchiæ præstan-
tiâ, & præ reliquis Rerump. formis præ eminentiâ: cum, si vel
maximè vera essent singula, quæ de illâ disputat Jesuita, (quod
interim *αἰσῶς* non conceditur) nihil tamen, vel parùm ju-
varent aut promoverent Pontificiorum causam. De dissimi-
libus enim non simile est iudicium; Ecclesia (uti diximus) non
est re-

est regnum mundanum, neque hujus forma est canon sive mensura illius.

37. Simpliciter ergo negamus Regimen Ecclesie in hisce terris militantis esse Monarchicum; sed si omnino ad formam quandam reipub. referri debeat, illud aliquam cognationem & affinitatem cum Aristocratiâ habere concludimus.

Regimen
Ecclesie nō
est Monar-
chicum sed
Aristocra-
ticum.

38. Prius probatur; Quia inter ministros Christi nemo dominatur. *Luc. 22. v. 25.* Ergo inter illos nullus datur Monarcha, nulla monarchia.

39. Admodum igitur puerile & stultum est quod loco allegato *Luc. 22. v. 25.* à Christo monarchiam institui pretendat Jesuita; cum nihil aliud, quam ejusmodi dominium, ibi negetur & refutetur.

40. Recte enim perpendens textum, facile intelligit, quæstionem inibi volvi; *Quis inter discipulos esset major?* quam solvit Christus dicendo, *neminem inter eos dominari*: Cujus responsionis summa hucredi: *Qui non dominatur, ille non est major; Sed ex vobis discipulis meis nemo dominatur*: Ergo ex vobis nemo est major.

41. Ubi porro immotâ consequentiâ subsumitur, qui non est altero major, neque in quenquam dominatur, ille non est Monarcha; At nullus discipulorum est altero major, neque in quenquam dominatur. Ergo nullus discipulorum est Monarcha: & per consequens, nullus minister Ecclesie, sive dicatur Pontifex, sive Cardinalis.

42. Sed excipit Bellarminus; *hic non ἀρχὴς negari ministris Ecclesie præesse, sed tantum κατὰ τὴν δίκην dici non præesse, ut reges gentium*; & concedimus totum, si recte secundum scripturam intelligatur. Non enim omnem negamus *ἀρχὴς* & præminentiam ministris, sed dominatum & monarchiam illis non concedimus. Aliud enim est, præsidere vel præesse, aliud imperare; non enim is, qui quocunque modo præest, statim monarcha est; aliis omnes, qui in politiâ magistratu funguntur, essent Monarchæ.

Exceptio
Bellarm.

B **A** **Adde,**



43. Adde, quòd non dicatur, ministros Ecclesiæ præesse, ut duces; sed ducem debere esse tanquàm ministrum, hoc est doctores, qui alijs sunt & doctrinæ & vitæ duces, aliorum debere esse ministros.

44. *Præsunt tamen ministri Ecclesiæ, ut oī ἡγούμενοι.* Et hæc Bellarmini exceptio nullius est ponderis: non enim idem sunt ὁ ἡγούμενος & ὁ ἀρχων; hoc principem, qui summum imperium habet, notat; Illud, ducem aut præsidem: quocircà etiam optimè ministris convenit, quorum præire est, & alijs viam monstrare. Hinc non unus verbi Minister, sed omnes ἡγούμενοι vocantur Heb. 13. v. 7. 17. item ἀγίστοιμοι 1. Thess. 5, v. 12. item ἀγῶνες 1. Tim. 5. v. 17. sed nunquam vel unus vel omnes ἀρχοντες aut ἱερόρχοι, aut δεξιερῆς, nedum μονάρχαι.

45. Quòd porro dicit Bellarm. *Episcopum summum debere præesse sine dominandi libidine, non debere Christianis ut servis imperare, neq; ex præfecturâ illâ honorem aut lucrum querere;* id Papalem Monarchiam totam evertit.

46. Nam. Primùm ubi est dominandi libido si ibi non est? Quis ademit Cæsari potestatem confirmandi Papam? Papa: Quis omnes Reges, ipsum Imperatorem & totum terrarum orbem suo imperio subjecit? Papa. Quis dixit de necessitate salutis credendum esse, Papæ Romano omnem creaturam subesse? *De maiestate c. unam sanctam.* Papa. Quis ordinavit & constituit papam superioratum habere in imperium & vacante imperio Imperatori succedere? *De consuetud. c. primo?* Papa. Quis sibi sumit potestatem transferre imperia de gente in gentem. *De re iudicat a c. pastoralis in clementinis?* Papa. Quis sibi utriusque potestatis Temporalis & Spiritualis monarchiam arrogavit? *de re iudicata. c. 2. Papa.*

47. Deinde, Papa non tantùm promiscuam plebem sed reges etiam omnes & ipsum Imperatorem in æquè miserant rededit servitutem.

48. Quando enim Papa equam adscendit, quis, tanquàm ejus equiso, stapham tenere cogitur? Rex vel Imperator, si adest; *ibidem.* Quando Papa civitatem ingreditur, quis, tanquàm plaustra-

plaustrarius, equum manu ducere tenetur? Rex vel Imperator si adest, *lib. ceremon. sect. 12. c. 5.* Quando Papa sella vehitur, quis, tanquam mulus sellam suis humeris sustinere cogitur? Rex vel Imperator si adest, *lib. cerem. 1. titul. 2.* Quando Papa convivatur, quis tanquam pocillator manibus Papæ aquam affundere tenetur? Rex vel Imperator si adest: *ibid.* Quinam pedibus Papæ subjectus & conculcatus? Ipse Imperator. *Nauder. generat. 39.* Summa. Nullus unquam Tyrannus in suos subditos majorem exercuit Tyrannidem, quam hic servorum servus in suos Dominos.

49. Tandem avaritiam & rapacitatem quod spectat, ex nulla demonstrari potest historiâ fuisse unquam Tyrannum, qui subditos suos magis expilaverit, quam Papa Christianos. Franciscus Petrarcha, testatur Johannem XXI I. in numeratâ pecuniâ reliquisse vicies quinquies millena aureorum millia. Et notandi sunt versus, ab ipsis Pontificiis compositi;

*Curia vult merces, bursas exhaurit & arcas,
Si bursæ parcas, fuge Papas & Patriarchas,
Si dederis marcas, & eis impleveris arcas,
Culpa solveris quacunque ligatus eris.*

*Intus quis? Tu quis? ego sum: quid queris? ut intrem,
Fers aliquid? non-sta foris. fero quod satis. intra.*

50. Unde satis constat, Papâ Romano; neque crudeliorem Tyrannum, neque rapaciorem prædonem unquam exstitisse. Quocirca si ille qui Ecclesiæ universæ præest, absque dominandi libidine lucrique & honoris cupiditate præest, Papa nullo modo est ille, qui universæ Ecclesiæ præest.

51. Secundo: argumentamur hunc in modum: Quæ Hierarchia nullum habet fundamentum in scripturâ, non Hierarchia sed diabolica *avaxia* est. At Monarchica Hierarchia nullum habet fundamentum in S. scripturâ; Ergo Monarchica Hierarchia non Hierarchia, sed Diabolica *avaxia* est.

52. Major manifesta est. Minor probatur ex *cap. 4. Eph. v.* ubi Apostolus inquit: *dedit igitur ipse, alios quidam Apostolos, alios*

*Avaritia
pontificis
Romanis.*

*Secundum
argumen-
tum nos-
trum.*

B 3

verò

re o Prophetas alios Evangelistas, alios pastores, alios Doctores. Vbi sanè
aitum silentium de Monarcha Papà.

53. Replicat Bellarm. Monarchiam disertè poni his ver-
bis; dedit quosdam quidem Apostolos: & adhuc disertius 1. Cor. 12.
ipse posuit in Ecclesia primùm Apostolos.

54. Risum teneatis amici. Suntne multi Apostoti æquales
unus monarcha cæteris imperans? sanè in hisce locis Papam
quærere est juxta proverbium, aquam è pumice postulare:
sunt enim contradictoria; Ecclesiam duodecim Apostolis pari
jure regendam dare & Ecclesiam uni Monarchæ regendam
dare.

55. Forsan Petrus fuit unicus pastor ordinarius, cæteri extraordi-
narii & delegati? Id quidem prætendit Jesuita, sed non probat,
petitio principii est, figmentum Jesuitici cerebri est, ideoque
manifestè falsum. Quandoquidem Christus omnibus Apo-
stolis ex æquo tradidit claves, quæ omnem significant potesta-
tem sive ordinariam sive delegatam, in retinendo, remittendo,
aperiendo, claudendo, ligando, solvendo consistentem.

56. Cæterum: si reliqui sunt delegati, quæritur quis illos
fecerit delegatos? Non Petrus sed Christus, quod non negat
Bellarm. lib. 4. de Pont. Rom. cap. 23. quando affirmat, omnem
Apostolos auctoritatem à Christo immediatè accepisse. Quo-
modo igitur Petrus cæteros potuit facere delegatos?

57. Porro si Christus cæteros fecit delegatos, aut fecit suos,
aut Petri. Si Petri: Ergò illis non æquè summam dedit potesta-
tem, quod tamen demonstravimus & concessit Bellarminus.
sed minorem quàm Petro; Si suos; nullam habuit prærogati-
vam Petrus, neque magis is ordinarius fuit pastor, atque cæteri
uno enim eodemque modo reliquis Apostolis & Petro Chris-
tus delegavit potestatem.

58. Sed quid opus est longiore disputatione in re manifestà
& expedità? Locis illis allegatis Apostolus nihil minus fecit,
quàm

quàm quod delineavit Hierarchiam: cùm tantùm enumera-
verit varia dona quæ sunt in Ecclesia.

59. Tertium argumentum ita proponimus: Quod Sacra
scriptura & sancti Dei homines, per quorum os S. sanctus lo-
cutus est, ad unitatem Ecclesiæ conservandam non judicarunt
idoneum, id ad eam non est necessarium. At Monarchia Rom
Pontificis illud ipsam est, quod scriptura &c. ad unitatem
Ecclesiæ conservandam non judicarunt idoneum. Ergò ad
unitatem Ecclesiæ conservandam non est necessarium.

*Tertium
argumen-
tum.*

60. Majorem puto per se certam esse, Minor probatur:
Paulus enim Eph. 4. v. 4. & 5. inquit; *Vnum corpus, unus Spiritus,
una species vocationis, unus Dominus, una fides;* in quibus certè causis
unitatis non ponitur summus pontifex, qui Ecclesiam in uni-
tate contineat.

61. Excipit Bellarminus, istis verbis (*unum corpus*) Papam
contineri. Resp. Credamus id ad tempus Bellarmino: Sed
quid inde infertur: *Ecclesia est unum corpus, vel Papa continetur in
unitate corporis Ecclesiæ. Ergò Papa est Monarcha in Ecclesia;* Certè
hoc est argumentum à baculo ad angulum.

62. Imò est contradictio in adjecto; si enim Papa conti-
netur in corpore Ecclesiæ non est ejus caput vel Monarcha.
Nam Apostolus confert loco allegato Ecclesiæ, corpus cum
suo capite: collatio autem sine distinctione & oppositione
præcedente fieri nequit: Quocirca Paulus ibi distinguit inter
corpus & caput; illudque huic in collatione opponit; At cor-
pus capiti oppositum est *ἀπέφαλον*: quomodo igitur hoc loco
Papa, corpori Ecclesiæ inclusus ejus erit caput?

63. Concludimus igitur; Si Papa in unitate illius corpo-
ris continetur, caput Ecclesiæ non est; sed æquè mem-
brum illius, ac cæteri pastores & laici: Si verò non conti-
netur, tum aut ad illud pertinet alio, aut planè nullo modo

Si alio

Si alio modo: Ergò prout vi unitatis, hoc loco ab Apostolo ad-
fertæ Ecclesiæ caput constituat; alius enim præter hunc non
datur; cum quicumque pertinet ad Ecclesiam, ejus vel caput
vel membrum sit, integrum corpus dicitur; quandoquidem
illud Apostolus in hac ipsa Epist. cap. 1. v. 22. definit Christum
non Papam, & ipsum constituit caput ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius.
Quodq; porrò in solo hoc capite omnia Ecclesiæ membra uni-
antur docet. 1. Cor. 12. v. 12. Sicut corpus unū est & membra habet multa,
& omnia membra corpus unum sunt, ita & Christus, nempe intelligit
Christum caput cum reliquo corpore junctum: & post. vos estis
corpus Christi. Ubique igitur unum Ecclesiæ caput facit Chri-
stum, Papam verò. ἄρ' ἐν λόγῳ ἄρ' ἐν αἰεθρῶν ponit.

64. Manifestum inde est, quia Papa neque corporis Ecclesiæ
membrum est, neque caput ejus; quod nullo modo ad eam
pertineat, sed revera sit magnus ille Antichristus & filius per-
ditionis.

Quartum
argumen-
tum.

65. Quartum argumentum; In quâ repub. unicuique sua
data est portio, in illa tota plenitudo potestatis nõ data est uni.
Atqui in Ecclesia unicuique sua data est portio. Ergò tota
potestatis plenitudo non est data uni, tanquam Monarchæ. Ma-
jor certa est, nam unicuique portionem & uni omnia data esse
contradictionem implicat. Minor est ipsius Apostoli Eph. 4. v.
7. Unicuiq; nostrum data est gratia pro mensura doni Christi. Excipit
Bellarminus. Papam duplici modo considerari, vel in collatio-
ne ad Christum, vel in respectu ad cæteros Episcopos; in illâ
ἄρ' non habere Papam omnem potestatem cum 1. Christus
regat omnem Ecclesiam, quæ est in cælo, terra & purgatorio;
Papa duntaxat eam quæ est in hisce terris. 2. Christus gratiam
conferre possit sine sacramento, Papa vero sine sacramento
non possit: Ad cæteros omnes Episcopos collatum, habere ple-
nitudinem potestatis, cum isti toti Christiano orbi præsit, cæte-
ri definitas tantum regiones habeant.

66. Resp. Primum quod attinet; contradicit Bellarminus
ocæteris Pontificiis, qui docere & defendere non dubitant, Im-
perium



perium Papæ etiam ad Ecclesiam, quæ in cœlis est, se extendere. Dicunt enim Papam posse Angelis mandare, ut universum purgatoriū purgent. *Erasm. in 1. Tim. c. 1.* Deinde legimus in decretalibus, Papam habere cœlestis ac terrestri imperii potestatem: Aut igitur errat Bellarminus, aut errant ceteri Pontificii, qui Papæ imperium in cœlo & purgatorio tribuunt. Deinde est petitio principii. Hoc enim in quæstione est: An Papa habeat potestatem in totam Ecclesiam hæc in terris militan-
tem.

67. Alterum quoque pugnat contra indulgentias, nempe quæ sine sacramento peccatorum remissionem promittunt. si igitur id præstare nequeunt, ut hæc fateri videtur Bellarminus, meræ erunt præstigiæ.

68. Ultimum, nimirum Papam ad ceteros Episcopos collatum habere plenitudinem potestatis, si verum esset, absque dubio id isto loco indicasset Apostolus. Verum tantum abest, ut tale quid indicet, ut potius planè contrarium inculcet. Non enim dicit, Christum ascendisse & uni alicui Apostolo, vel Episcopo plenitudinem donorum dedisse; sed hoc ait, *Christum dona hominibus dedisse*, hoc est, inter homines dona sua distribuisse, unicuique certam & quodammodo ratam portionem assignando, instituendo collationem non ad Christum, sed ad homines. Deinde probatio iterum petit principium. Nam Papam universo terrarum orbi præesse inter nos controvertitur; imò falsum est, cum in primitivâ Ecclesia illi provincia determinata tributa fuerit; Quod verò universum orbem sibi subiectum esse jactet, sit illud per Tyrannidem.

69. Quintum argumentum: Quicumque aliud facit caput Ecclesiæ præter Christum, contumeliosus, imò blasphemus est in Christum: At Pontificii Papam Rom. Ecclesiæ caput constituentem aliud ejus faciunt caput præter Christum: Ergo sunt contumeliosi, imò blasphemii in Christum.

Quintum
argumen-
tum.

70. Majoris ratio est, quia solus Christus & Ecclesiæ suæ caput *Eph. 4.* neque usquam in scriptura legimus, Ecclesiam habere aliud caput præter Christum.

C

71. Exci-



71. Excipit Bellarm. nullam fieri injuriam Christo, cum Papa non asseratur caput Ecclesiae esse, cum Christo, sed sub Christo.

72. Resp. Audio quidem Bellarmine, hoc ita dici, sed id non sufficit, probandum est, quod dicitur: Ubinam affirmat scriptura, Papam esse caput Ecclesiae sub Christo, ubi docet Papam Christi vicarium esse?

73. Pergit Jesuita; I. Christus se lucem mundi vocat, *Joh. 8.* & nihilominus eandem Apostolis denominationem tribuit. *Matth. 5.* II. Christus dicitur fundamentum Ecclesiae, *1. Cor. 3.* & Apostoli dicuntur fundamentum Ecclesiae, *Eph. 2.* III. Christus dicitur pastor & Episcopus *1. Pet. 2.* & Apostoli dicuntur pastores, *Eph. 4.* Ergo, concludit, licet Christus sit caput Ecclesiae, tamen & Papa ejus caput dici potest.

74. In genere respondemus, maximam esse diversitatem in exemplis; Illa enim sunt in sacra scriptura, hoc vero non. Si ne periculo igitur cum scriptura loquimur; Summum contra periculum est, id, quod vanitas humani cerebri, sine scriptura ratione aut necessitate praescribit, adferere.

75. Deinde in specie ad secundum Resp. & quaerimus qualis consequentia sit, *Christus dixit, Vos estis lux mundi, Ergo solus Petrus vel Pontifex Romanus est lux mundi*, certe hoc non Petro magis, quam cuiquam Apostolorum convenit. Deinde verbum *lucis* est ejusmodi vox, quae pertinet ad ministerii rationem: quocirca etiam optime Apostolis tribui potuit, non vero ita se habet capitis nomenclatura, uti jam dicemus.

76. Ad secundum dicimus, falsam esse, *Apostolos dici fundamentum Ecclesiae*, sed hoc dicitur, *Ecclesiam fundatam esse super fundamentum Prophetarum & Apostolorum*; quod fundamentum non est Petrus, non Papa Romanus, sed unicus & solus Christus.

77. In tertio quoque nulla est difficultas; distinguendum enim est inter pastorem & caput omnium pastorum, id communicat quidem Christus cum Ecclesiae ministris, Hoc vero minime

minimè. Hac de causa solus Christus dicitur ἀρχιεπίσκοπος I. Pet. 5.
v. 4. Pugnat etiam hoc Papam pastorum caput esse contra sen-
tentiam primitivæ Ecclesiæ. Nam concilium Carthaginense
Can. 26. disertè vetat, ne primæ sedis Episcopus vocetur princeps. Sacer-
dotum aut summus Sacerdos. Quod ipsum etiam à Papa approbatur
dist. 99. c. 1. sed Eg. Aut igitur Papa non est caput omnium sacer-
dotum, aut sibi ipsi pessimè contradicit.

78. Sextum argumentum. Quod regnum nullis circumscri- 6. Argum.
ptum est finibus, tam late patet, quam late orbis iste omnis:
id ab uno homine, tanquam Monarcha, regi nequit: At Eccle-
sia militans nullis circumscripta est finibus, & tam late patet,
quam late orbis iste omnis: Ergò Ecclesia ab uno homine, ut
Monarcha, regi nequit.

79. Excipit contra majorem Bellarm. unum hominem
per se id præstare non posse, optimè verò posse per alios: Possè
igitur Papam per alios administrare totam Ecclesiam, per uni-
versum terrarum orbem dispersam.

80. At, Bellarmine, hoc est contra institutionem & manda-
tum Christi, qui non mandat, ut Apostoli, tanquam magni
Domini & Monarchæ, domi sedeant, & alios sub ministros ju-
beant, quid facere debeant; sed vult ut omnes, omnes, nullo
excepto, abeant in mundum doceantq; homines Matth. 28. v. 18.

81. Septim. Argumentum: Paulus I. Cor. 3. ministros omnes 7. Argum.
exæquat, & Ecclesiam super ministros esse docet, cum ait, omnia
vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas.

82. Respondet Bellarm. se non esse tam acutum ut vim hu-
jus Argumenti percipiat. Verùm potiùs tam acutum argu-
mentum est ut ejus aciem reformidet, cum aliàs per se sit ma-
nifestum.

83. Ut autem connexio ejus sit adhuc manifestior, id ita
formamus. Quicumque 1. ratione sui ipsorum nihil sunt,
2. ratione verò officii ministri & aliorum sunt. 3. atque eodem
respectu unum sunt; illi non sunt Domini vel Monarchæ sed
ser-

servi, ac inter sese æquales. At omnes pastores: 1. ratione sui sunt nihil, 2. ratione officii sunt ministri & aliorum, 3. atque eodem respectu sunt unum. Ergo pastores nequaquam sunt Domini vel Monarchæ, sed servi & inter se æquales.

84. Major certa est. 1. Ex oppositione relatorum, qui enim servus est, is non est Dominus, 2. Quicumque est ejusdem conditionis cum cæteris ministris, is non est Monarcha. Nemo enim Monarcha simul & cæteris æqualis esse potest.

3. Quicumque suiipsius respectu nihil est, & quicquid est, aliorum est, ille non habet imperium in eos, quorum est. Minor est in textu 1. Cor. 3. v. 5. *Quis est igitur Paulus, quis Apollo, nisi ministri, per quos credidistis. v. 7. neq; is qui plantat est aliquid, neque is qui rigat v. 8. Is verò qui plantat & is qui rigat aliorum sunt. v. 21. Itaque nemo gloriatur in hominibus, omnia vestra sunt. Omnia namq; vestra sunt: sive Paulus sive Apollo sive Cephas.* Hæc vis argumenti est, quam nondum si videat Bellarminus, eum ἀλογος dixero.

85. Argumentum octavum: Quos Christus pariter misit, eorum unum non cæteris præposuit: At Christus omnes discipulos suos pariter misit. Ergo unum cæteris non præposuit.

8. Argum.

86. Major certa est, quandoquidem omnis autoritas, potestas & jurisdictio ministrorum Ecclesiæ pender à mandato Christi. Minor certa est ex Matth. 28. 8. v. 19. Joh. 20. v. 21. Act. 20. v. 28. 1. Pet. 5. v. 2.

87. Respondet Bellarm. ad locum Joh. 20. *Ego mitto vos &c.* illis quidem verbis non esse unum aliis præpositum, sed non deesse alia loca, quibus unus aliis præponatur: Additq; certè Joh. 21. *uni dicitur, pascere oves meas.*

88. Verùm id certum non est Bellarmine; Sic argumentamur. Quibus est mandatum docere omnes gentes, illis est demandatum pascere omnes oves Christi. At non tantum Petro, verùm etiã cæteris Apostolis omnibus demandatum est, docere omnes gentes. Ergo omnibus Apostolis demandatum est, pascere omnes oves Christi.

89. Ma.

89. Major est certa; nam docere omnes gentes est idem, quod pascere omnes oves Christi, quandoquidem oves Christi, pascuntur docendo; Minor constat ex Matth. 28. v. 19. Docete omnes gentes, Ergò si is, qui pascit oves Christi monarcha est, omnes Apostoli Monarcha erunt? quod absurdum esse, non diffidentur ipsissimi Pontificii.

90. Argumentum nonum. Si mundus debet gubernari ab uno in iis, quæ ad religionem pertinent, debet etiam gubernari ab uno in iis, quæ ad politiam pertinent. Sed hoc non, ergò nec illud! Nonum
argumen-
tum.

91. Excipit Bellarm. non esse eandem rationem Politici & Ecclesiastici regiminis, rationem addit; nam orbis terrarum non necessario esse debet unum regnum ac proinde non necessario postulat unum, qui omnibus præsit: At Ecclesia tota est unum regnum & ideo tota ab uno regi debet.

92. Respondemus ad Except. nos libenter concedere, diversam esse rationem regiminis politici & Ecclesiastici. Ut igitur ab hoc ad illud nihil firmiter inferatur, ita vicissim à Politia ad Ecclesiam, à politico regimine ad Ecclesiasticum, à rege ad Episcopum non valet consequentia. Unde liquet quid sentiendum sit, de argumentis istis, quas Jesuita à gubernatione politicâ ad Ecclesiasticam, & à rege ad Episcopum duxit. Ut mendacem, ita Sophistam, oportet esse memorem.

93. Deinde rationem dicimus; falsam Bellarminum cum cæteris Pontificiis supponere *ὁπότερον*, nempe Ecclesiam esse unum aliquod regnum visibile. Est quidem Ecclesia Catholica regnum, & quidem unum, sed invisibile, sed spirituale, sed mysticum. Unde ita argumentamur: Ut Ecclesia Catholica est unum regnum: ita etiam habet unum caput: At Ecclesia est unum regnum invisibile, spirituale, Mysticum; Ergò Ecclesia habet unum caput invisibile, spirituale, Mysticum, non visibile, non Papam Romanum.

94. Constat igitur per hæcenus proposita argumenta, regimen Ecclesiasticum nullo modo monarchicum esse, quod erit primo loco probandum.

C

95. Sequi-

Regnum
Ecclesie
suo modo
est Aristo-
craticum.

I. Ratio.

2. Ratio.

95. Sequitur alterum. Ecclesiam quandam habere cognationem cum regimine Aristocratico. Probatum id sequentibus rationibus.

96. *Prima.* Quia Christus omnibus Apostolis unam eandemque dedit potestatem: unam enim & pariter ad Apostolatum sunt electi. Sic enim hac de re Lucas cap. 6. Vocavit discipulos suos & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit: unam etiam & pariter omnes missi sunt ad predicandum, & Apostolatus munus peragendum Matth. 28. Luc. 9. Ioh. 20. unam denique omnes claves acceperunt, Matth. 18. Ioh. 20.

97. *Secunda.* Ut Apostoli gubernarunt Ecclesiam: ita etiam nunc & omni tempore administrari debet: At Apostoli gubernarunt eam modo Aristocratico: Ergo &c.

98. Major certa est. Nam Apostolica gubernatio est omnis Ecclesiastica gubernationis norma & canon: Minor constat his rationibus. I. Quia inter Apostolos erat societas, Gal. 2. v. 9. ergo æqualitas. II. Quia munus prædicationis æqualiter & pariter obierunt Marc. 16. v. 20. III. Quia pariter, omnes Apostoli Episcopos & eos, qui sibi successuri essent designarunt, ut Paulus Titum Cretensibus, Timotheum Ephesinis præfecit, imò oppidatim constituit Præsbyteros & Episcopos Act. 14. Sic Andreas in Achaja prædicans & Philippus in Galliâ docens, utrobique post se constituerunt & ordinarunt Episcopos, quod & reliqui Apostoli aliis in locis fecerunt. Videatur *Historia Ecclesiastica*. IV. Quia crescente Ecclesia, adeò ut Apostoli non possent mensis vacare, communi suffragio diaconos constituerunt Act. 6. V. Quia in universali concilio, tanquam in supremo iudicium Ecclesie consensu controversia de legalium observatione, quam neque Petrus solus, neque Paulus solus decidere voluit, finem accepit Act. 15.

99. Contra ultimam hanc rationem excipit Bellarm. *Concilii illius præsidem & caput fuisse Petrum*, indeque colligit, *controversiam illam non a Petro & Paulis sed a Petro & Paulis compositam fuisse.*

100. Negamus nos antecedens. Non enim Petrus sed Jacobus præses fuit, nempe, qui primus decidit quaestionem, & dicit sententiam, cui postea reliqui adstipulantur & subscribunt.

101. Pro-



101. Probat nihilominus id Bellarmin. *Petrus*, inquit, *fuit in isto concilio praeses; qui primus locutus est.*

102. At probatio haec falsissima demonstratur ex ipso Luca Act. 15. v. 2. quandoquidem Petrus non primus est loquutus; sed magna disceptatio fuit priusquam Petrus loqueretur, v. 7.

103. Deinde si omnino concederemus Petrum praesidem fuisse: colligeretur ne statim inde, Petrum fuisse istius concilii monarcham? Minimè gentium. *Hosius* fuit praeses concilii Nicensi: Nestorius concilii Constantinopolitani: quia uterque primo loco subscripsit, neuter tamen in istis conciliis fuit Monarcha.

104. *Tertia ratio.* Apud quem Christus ipse constituit summum Ecclesiae tribunal, apud illum etiam nos istud constituere debemus: At Christus summum tribunal constituit apud Ecclesiam, & non apud solum Petrum & ejus immediatos successores. Ergo & nos apud Ecclesiam illud constituere debemus: Et per consequens, tribunal Ecclesiae non est Monarchicum, sed Aristocraticum.

3. Ratio.

105. Minor est certa: quia non eos, qui Petrum, sed eos, qui Ecclesiam audire detrectarent, habendos tanquam Ethnicos & Publicanos decernit ipse Christus *Matth. 18.*

106. *Quarta ratio.* Quod a paucis iisque praecipuis pari administratur jure, id *ἐπισκοπατικῶς* regitur; Atqui Ecclesia a paucis iisque praecipuis pari jure administratur: Ergo Ecclesia *ἐπισκοπατικῶς* regitur.

4. Ratio.

107. Major certa est per definitionem Aristocratiae: Minor desumitur ex *cap. 20. Act. v. 28. & 1. Pet. 5. v. 1.*

108. Verum Bellarminus contra ista duo loca excipit: illis nim. *non agi de summa Ecclesiae potestate, sed duntaxat docere, Episcopos & presbyteros debere Ecclesiam regere & pascere.*

109. Sed audi Jesuita; Estne major in Ecclesia potestas, quam pascendi? Non puto: quandoquidem potestas illa, quae Petro data est, vobisque summa potestas est, pascendo definitur. *Joan. 21. v. 17.*

110. Quinto

5. Ratio.

110. *Quinta ratio.* Quæcunque Ecclesia non habet alios summos rectores & iudices, quàm Episcopos & Ecclesie præsidentes, in Synodo legitimâ congregatos, illa *ἄριστον ἔχει* regitur. At Apostolica & prima Christi Ecclesia non alios habuit summos rectores & iudices quàm Episcopos & Ecclesie præsides in Synodo legitimâ congregatos. Ergo Apostolica & prima Christi Ecclesia *ἀριστον ἔχει* gubernata fuit.

111. Minor probatur. 1. quia à Synodis veteres Christiani fidei explicationem, canones vivendi & regulas rituum Ecclesiasticorum petebant. 2. quia in Synodis omnes in negotio fidei controversiæ decidebantur, & hæretici condemnabantur & præscribebantur. 3. Autoritate Cypriani qui *lib. 3. Epist. 19.* inquit: *quæres, cum omnium nostrum consilium spectat, præiudicare ego & soli mihi rem omnem vendicare non audeo.*

112. Contrâ factum Cypriani excipit Bellarm. ipsum id non officio fecisse, sed cum Episcopus fieret, promisisse, se nihil absque presbyterorum consilio facturum esse, *lib. 3. Epist. 10.*

113. Verum salva res est, Quod Cyprianus facere tenebatur, hoc se facturum ultrò recipiebat, quandoquidem non tantum in Ecclesia Carthaginensi, sed etiam in qualibet aliâ Ecclesia absque consensu seniorum tum nihil agebatur. Sic enim Hieronymus ad Tit. cap. 1. *Antequam diaboli insinctu studia in religione fierent, communi presbyterorum consilio Ecclesia gubernabantur & Ambros. in 1. ad Tim. cap. 3. Et Synagoga & postea Ecclesia seniores habuit, sine quorum consensu tum nihil agebatur.*

6. Ratio.

114. *Sexta ratio.* Quicunque confitentur summam potestatem penes generale concilium esse, neque alibi rebus turbidis Ecclesie remedium inveniri posse, illi monarchiam negant & simile quid Aristocratia afferunt; Atqui ipsi Episcopi Romani & aliqui ex nostris adversariis confessi sunt summam potestatem penes generale concilium esse, &c. E. &c.

115. Minor probatur, nam 1. Innocentius non potuit Chrysostomum etiam iniquè oppressum absque concilio restituere.

2. Iulius

2. *Iulius* Episcopus Romanus, Athanasio nullum sine concilio
auxilium ferre potuit. 3. Grassante Eutychnianorum hære-
si *Leo* ab Imperatore contendit, ut Synodum indiceret. 4. Et
denique hanc sententiam probant omnes, qui Papam à con-
cilio deponi posse concedunt & docent.

116. Tandem concilia & patres ipsi disertè asserunt, Eccle- 7. *Ratio.*
siæ primitivæ administrationem penes plures fuisse. Apostolo-
rum canones (*canon 38.*) decernunt, ut bis in anno Episcopi
conveniant, & inter se dogmata pietatis explanent, & emergē-
tes in Ecclesiâ contentiones amoveant. Eodem modo Syno-
dus Nicena *Can. 5.* jubet, ut lites & causæ Ecclesiasticæ in Syno-
dus finem acciperent. Irenæus non uni Episcopo Romano,
sed pluribus simul obaudiendum censebat *lib. 4. adversus Hæres.*
cap. 43. Cyprianus singulis pastoribus gregis portionem adscri-
bit *lib. 1. Epist. 3.* Tertull. Apolog. 39. testatur in Synodis Epi-
scoporum dubia explicata, & pœnas pro delictis impositas fu-
isse. Et ex Hieronymo supra *Psal. 44.* intelligitur, recedentibus
Apostolis, gubernationem non ad unum, sed ad plures perve-
nisse. & August. *de Baptism. contra Donat. lib. 2. cap. 1.* cuiusvis
sententiæ concilii auctoritatem anteponebat.

117. Conclusum igitur esto; Ecclesiæ regimen maximam
cognitionem habere cum Aristocratiâ, nullam cum Monar-
chiâ.

118. Sequitur nunc quæstio: *An Pontifex Rom. sit caput vel Mo-*
narcha Ecclesiæ.

119. Quid de quæstione hac statuendum sit, facile liquet ex il-
lis quæ hæctenus disputata sunt & demonstrata: Si enim Eccle-
siæ Hierarchia nō est monarchica, sed suo modo Aristocratica,
nullum utique habebit monarcham vel summum caput visi-
bile adeoque Papa Romanus nihil minus quam Ecclesiæ caput
vel Monarcha erit.

120. Verum enim verò, ut nihilominus fictitio huic capiti
fulcrum aliquod fabricarent Papæ satellites, commenti sunt
Pontificatum quendam Apostoli Petri, quem Romæ per annos

Pontifex
Romanus
non est
Monarcha
Ecclesiæ.

25. tanquam summus præses, fundamentum & caput gesserit, eumque jam vitâ functus jure quodam hæreditario scilicet, ad sibi in ordine succedentes Papas demiserit.

121. Non verò possumus satis mirari, aut stupiditatem Pontificiorum dogmatistarum, ut futilitatem hujus sui nugamenti non agnoscant, pro concessio & rato assumentes id, quod profus ad concludendum est invalidum & adhuc controversum: aut effrenam & projectam impudentiam, qui toties pridem confusi, eandem tamen crambem recoctam itentidem sine omni rubore, pudore ac fronte in conspectum Ecclesiæ Christi reponunt, ac respondent. Petrus olim gessit Pontificatum Romanum & fuit caput Ecclesiæ. Ergò & Papa erit caput Ecclesiæ. Antecedens eget probatione & consequens est falsissimum.

*Petrus non
fuit Romæ.*

122. Duo enim in Enthymemate illo involvuntur hypotheses: quæ nullo modo concedendæ sunt. Primum igitur negamus. *Petrum unquam Romæ fuisse, vel sibi fuerit, Pontificatum primatum usurpasse, nedum pro capite Ecclesiæ sese gessisse.* Deinde negamus sequi; *Petrus fuit Episcopus & magis excelluit privilegio;* iidem igitur & Papa. Negamus inquam, quia scopæ dissolutæ sunt, cum infinitis parasangis dissideant ambo, sive doctrinam sive officium spectes in utroque.

123. Prioris nostræ negationis fundamentum sumimus ex Epist. ad Gal. cap. 1. v. 17. ubi Paulus dicitur post conversionem suam (quæ facta est Anno à nato Christo. 34. & primo ab eisdem ad dextram majestatis paternæ exaltatione) abiisse Damasco in Arâbiam, indidemque Damascum denuò reversus. Annis verò ab hoc suo reditu (ut habetur ibidem v. 18. & seqq. tribus, nempe circa annum Domini 37. Hierosolymam profectus esse ibique Petrum salutasse, diesque quindecim in urbe mansisse memoratur. Ergò id temporis non fuit Romæ Petrus, sed Hierosolymis.

124. Porro

124. Porro in eadem Epistolâ testatur Paulus, nempe *cap.*
2. v. 7. quod spatio 14. annorum à superiore profectioe elapso
sub annum Christi 51. iterum suscepto Hierosolymam itinere,
Petrum Apostolum ibi invenerit; quodq; viderint Apostoli
Paulo conceditam fuisse Evangelium præputii, quemadmo-
dum Petro circumcisionis: & qui in Petro efficax ad Apostola-
tum circumcisionis, idem quoque efficax fuerit in Paulo erga
gentes *v. 7. 8.*

125. Deinde narratur in illo ipso *cap. 2. v. 9.* Apostolos pa-
ctioe in ita Apostolatam inter se partitos esse, ut deinceps Ja-
cobus & Cephas sive Petrus & Johannes Evangelium de Chri-
sto annunciarent inter Judæos. Paulus autem & Barnabas,
apud gentes Evangelii prædicatione vacarent: pactioque illa
junctis dextris confirmata esse; indubitato colligitur, ne tûm
quidem Romam se contulisse Petrum, nisi forsan fœderis obli-
tum.

126. Sed fingamus in gratiam Romanensium, Petrum eo
ipso anno, quo pactio facta, venisse Romam, ibique, ut qui-
dem ipsi suaviter nugantur, annos 25. Pontificatum admini-
strasse. Verùm hoc quando statuimus, unâ cum Jesuitis mani-
festis absurdissimisque nos involvimus absurditatibus.

127. Nam si addas hosce 25. annos ad annum Domini 61.
quo secundus Apostolorum conventus est celebratus, evadet
annus Christi 76. qui incidit in annum imperii Vespasiani sex-
tum. At Petrus sex annis ante sub Nerone martyrio corona-
tus expiravit.

128. Quid ergò dicendum? Revixit ne tum Petrus? aut mor-
tuus etiam ad Ecclesiæ Romanæ gubernacula sedit? Neutrum
absque dubio concedent Pontificii. Quocircâ aliter concludere
non possumus, quam illorum pronunciatum in fabulam ab-
ire, nostræ contra assertionis inconcussam perstare firmitatem:

*Petrum neque Romam fuisse, neque primum pontificialem usurpasse, multo-
roq; minus Papam pro secessore instituisse.*

129. Adde quod hac de re inter ipsos Adversarios ma-
xima sit incertitudo.

Onuphrius doctus aliâs inter
D ; Papistas

Onuphrius
conrad.
cit Bellar-
mino.



Papistas & in Historiarum lectione probè versatus, dicit, Petrum ante nonum annum à resurrectione Christi non abiisse ex Judæâ, additque, post novennium hoc Romam se contulisse. Bellarm: verò docet, eum ante quintum annum à resurrectione Christi non excessisse ex Judæâ, additque eum post elapsum hoc quinquennium Antiochiam profectum esse.

130. Pergit Bellarm. & affirmat Petrum quinquennium in Judæâ absolvisse & deinde 7. annos Antiochiæ versatum esse, quia igitur 7. & 5. sunt 12. sequitur, eum juxtâ computationem Bellarmini duodecimo anno à resurrectione Christi Romam ingressum fuisse. Verùm Onuphrius affirmat, eum, in principio decimi anni à resurrectione Christi isthuc venisse. Et quòd adhuc magis mirandum, unus vult Petrum undecim integros annos, à resurrectione Domini in Judæâ continuasse, alter adserit, novem integros annos à resurrectione Domini in Judæâ tantum consumsisse, & tamen uterque in ea est opinione, Petrum secundo anno: Claudii Romam venisse.

131. Præterea ut ibi sese implicant & dant turpiter, (Qui non fieri potest, ut Petrus post 9. annos & post undecim annos à resurrectione Christi primùm Romam venerit?) ita quoq; tempus imperii Claudii, illos mendacii arguit; nam anno secundo vel tertio Claudii Petrus detentus fuit Hierosolymis in carcere. *Act. 12. v. 4. Euseb. lib. 2. cap. 9. Ioseph antiquit. Jud. 19. cap. 7.*

132. Porro Paulus Romæ per integrum biennium fuit in captivitate, & ex carcere tres scripsit Epistolas, ad Colossenses, posteriorem ad Timoth. & ad Philemonem: Verùm in nulla facit mentionem Petri, quòd si adfuisset Petrus, non intermisisset, cum justissimam haberet de eo loquendi occasionem. Imò in 2. Tim. 4. v. 16. inquit, *In primâ meâ defensione, nemo mihi adfuit, sed omnes me deterruerunt.* Aut igitur Petrus non fuit Romæ, aut deseruit Paulum, quòd posterius absurdum.

133. Ad hoc egregiam adfert Adversarius responsionem, nempe:

nempe Paulum tantum loqui de aulicis, qui eum juvare poterant apud Neronem. Quia igitur Petrus, quippe aequè Neroni invisus atque Paulus, apud Tyrannum juvare ipsum nihil poterat, manifestum videtur, Petrum desertoribus istis non annumerari.

134. Hoccinè est rem acu tangere? Apostoli enim tum temporis aulicorum potentia sese defendebant & Evangelium propagabant, scilicet.

135. In tribus quoque illis Epistolis multi boni viri Romæ degentes, salutant eos ad quos Paulus scribit; At solus Petrus neminem salutatur. Aut igitur Petrus non fuit Romæ, aut ita inhumanus & superbus fuit, ut nullum salutatione dignum judicaret.

136. Præterea Apostolus Paulus *Act. 19. v. 21.* inquit: *Oportet me Romanam videre,* imò ipse Dominus ad Paulum dicit *Act. 23. v. 11. Conside Paule, ut enim testificatus es de me in Hierusalem, sic te oportet etiam Romæ testificari.* At quid hac Pauli testificatione opus fuisset. Si Petrus tum vel ipse fuisset Romæ, ibique totius Ecclesiæ & omnium Apostolorum Monarcham egisset vel inde discedens, Episcopum ibi constituisset & post se reliquisset. Quis enim commodius vel melius posset de Christo testificari, quam universalis ille Christi vicarius, omnia jura in scinio pectoris habens, idque existens in terra, quod Christus in cælo?

137. Adde & hoc: Petrus fuit principaliter Apostolus Judæorum *Gal. 2. v. 7.* At Romani non sunt Judæi sed gentes. Ergo Petrus non fuit Romanorum Episcopus vel Apostolus.

138. Contra majorem excipit Bellarminus *de Papa Rom. lib. 2. cap. 7.* Prædicasse Petrum omnibus, licet principaliter Judæis.

139. At in fabis est Bellarminus. Si enim Petrus Romæ fuisset Episcopus, tum non Judæis, sed gentibus principaliter prædicasset.

140. Quia igitur Petrus non fuit Romæ, utique non Episcopus ibi fuit: id quod porro ita probamus 1. quia id ex nullâ

Petrus non
fuit Episco-
pus Roma-
nus.

D 2 Scriptus nu.

Petrus non
fuit Epi-
scopus Ro-
manus.

Scripturā doceri potest. Ergo Petrum Romanum Episcopum
fuisse, neque de fide est, neque ad fidem pertinet, multo minus
fidei dogma est. 2. Quia scriptura planè contrarium docet
nempe Petrum & cæteros Apostolos fuisse omnium gentium
Apostolos. *Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15.* 3. Quia si Petrus fuisset
Romanus Episcopus, nō pactus fuisset cum Paulo, ut ipse inter
circumcisos, Paulus verò inter gentes Apostolatu fungeretur,
Roma enim non est inter circumcisos. 4. Quia si Petrus fuisset
Romanus Episcopus, quomodo potuisset proprium gregem
deserere & abire in Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam
& Bithyniam, ut istis dispersis fratribus prædicaret. 5. Quia
nullus Apostolorum ad certum locum erat alligatus: sic enim
Tertull. præscript. c. 20. *Apostoli per Iudeam fide constitutā in Iesum
& Ecclesiis institutis, deinde in orbem profecti, eandem doctrinam natio-
nibus promulgarunt, & Ecclesias apud unamquamque civitatem condide-
runt, & Chrysost. hom. 91. in Matth. iubet ut in universum orbem
effundatur. Hieronymus in 28. cap. Matth. iussit Apostolos, ut do-
cerent universas gentes.*

141. Quoniam igitur Petrus neque Romæ fuit, neque ibi
Episcopum egit, utique falsum erit, Papam Romanum esse Pe-
tri successorem, & Cathedram Romanam esse Cathedram Pe-
tri.

142. Quod si verò maximè ponamus. Petrum tot annos
apud Romanos Apostolica legatione functum esse: neque ta-
men illico pro fundamento & pro capite totius Ecclesiæ uni-
versali is reputandus erit, neque sui muneris quasi oblitus, pro
capite Ecclesiarum se vendidisse communi errore dicendus.

143. Fuisset protectio supra modum fragile, imbecille & ve-
rè arenosum fundamentum, de bellandisque & expugnandis
inferorum portis hautquaquam sufficiens: imò fuisset planè
idololatricum. Nam *Jer. 17. v. 5. Maledictus, qui confidit in ho-
mine & ponit in carnem brahimum suum.* Fuit autem Petrus nu-
dus homo tam peccati, quam carnis infirmitate circumda-
tus.

144. Quoniam etiam omnis homo mendax, solus verò De-
us ver-

as verax *Rom. 3. v. 4.* suo exemplo Petrus luculenter testatus est, nihil esse iam proclive in humanis, quam errare, fallere & falli, de primatu in regno Christi, quod seculare putabat fore, una cum cæteris Apostolis sollicitus. *Matth. 18. v. 1.*

145. Quomodo etiã is, qui ternã abnegatione commissã, à portis inferorum ipsa fuisset superatus, nisi ope Domini se ad fidei sanitatem recepisset. *Matth. 26. v. 70. & seqq.* qui non tantum à Christo reprehensus est, *Matth. 16. v. 23.* antequam plenum Spiritus sancti donũ accepisset: Verum etiam perfectiore ipsius Spiritus sancti mensura jam imbutus graviter & iustè quidem ab Apostolo Paulo reprehensus fuit. *Gal. 2. v. 14.* Quomodo inquam, istam sublimem titulum sibi vindicare & sic augustissimi Redemptoris sui officium involare salvã conscientia sustinisset.

146. Longe secus à Spiritu sancto fuit institutus Petrus quippe sciebat non minus ac reliqui Apostoli, unum esse caput universalis Ecclesiæ, Jesum Christum, *Eph. 1. v. 21. Eph. 4. v. 15. cap. 5. v. 23. Col. 1. v. 17. 28.* & unicum tantum esse fundamentum; aliudque poni non posse præter id, quod positum est, nempe Jesum Christum, sciebat quoque super confessionem suam, quã propalam edidisset de filio Dei, universam Ecclesiæ structuram tanquam super firmissimam Petram ædificatam esse: non igitur super se, arenam, fundari posse.

147. Quid? quod se pro capite fundamento Ecclesiæ ostentare, fuisset è diametro officio Apostolico oppositum. Id enim 1. non est magisterium, sed ministerium. 2. non consistit, in potestate imperandi clero, sed pascendi ovibus: 3. denominat Apostolos non *ἀρχιεπισκοπικούς*, sed *συνπροεσβυτέρας*, 4. non sibi usurpat externum gladium, sed jubet illud recondere. 5. non se supra magistratum elevat, sed illi se subjicit. 6. non sumit tributum sed solvit. 7. non subditos contra magistratum concitat, sed ad obedientiam excitat.

148. Quæ cum adeo sint vera ac perspicua, Petrus non solum à fundamenti & capitis Ecclesiæ suspicione penitus absoluitur: sed etiam sole meridionali clarjus demonstratur, apertam

Se ostentare pro capite & fundamento Ecclesiæ est è diametro officio Apostolico oppositum.

apertam esse, non dicam temeritatem Pontif. Romani, sed impietatem planè Antichristianam, quòd se ad Exemplum Petri in tantum fastigium effert. Est enim inter hunc & ipsum tanta discrepantia, quanta inter lucem & tenebras, inter Christi discipulum & Diaboli ministrum sive Vicarium. Id quod adhuc luculentius ex officii ac studiorum, nec non doctrinæ utriusque intuitu demonstratur.

Studia Petri Apostoli & Papæ Romani diversissimi.
14.

149. *Studia quod attinet.* 1. Petrus fuit fidelis Apostolus & minister Ecclesiæ: Papa se non Apostolum sed caput, non ministrum sed magistrum Ecclesiæ jactitat. 2. Petrus legitime ad Apostolatam fuit vocatus: Papa artibus planè flagitiosis pestilentia cathedram occupat. 3. Petrus se vocat, *συνοπρεσβυτερον*, Papa se Episcopum Episcoporum. 4. Petrus jussus recondere gladium, citra tergiversationem obtemperat; Papa duplicis gladii potestatem sibi arrogat. 5. Petrus magistratum debitum honorem tribuit; Papa summum Magistratum, ipsum Imperatorem, pedibus calcatur. 6. Petrus seipsum magistratum subijcit; Papa supra omnem magistratum se elevat. 7. Petrus tributum solvit *Matth. 26. v. 52.* Papa sumit. 8. Petrus ut alii idem magistratum præstent, hortatur. *1. Pet. 3. v. 13.* Papa dehortatur. 9. Petrus in Apostolatu suo fuit maritus, habuit enim socrum, Papa legitimum mulierum amorem averfatur, interim inconcessis libidinibus turpiter indulgens. 10. Petrus æquo animo passus est, se reprehendi non tantum à Christo, verum etiam à Paulo; Papa ex imà infernalis baratri abyssu rugit & mugit de factis Papæ disputare, esse sacrilegium. 11. Petrus Cornelium centurionem, coram se procedentem, serio vetat, Papa ad impuros pedes osculandos Cæsaream majestatem adigit. 12. Petrus omnes Ecclesiastici ministerii partes in se suscepit; Papa nihil horum facit, nisi quod nunquam Missam celebrat hoc est, crucifigat de novo filium Dei. 13. Petrus non est dominatus clero: Papa intolerabili traditionum jugo conscientias strangulat.

150. Eodem modo in doctrinâ discrepant & opponuntur.

1. Petro

1. Petro scriptura est sermo firmus; Papæ est regula plúmbea in quamvis figuram flexibilis. 2. Petrus scripturam lucernæ comparat; Papa illi obscuritatis maculam adspersit. 3. Petrus vult in Ecclesiâ sonare verbum Dei: Papa è θελοφρονησίας eius in locum substituit. 4. Petrus Laicis scripturam & eius lectionem commendat & laudat; Papa illis utrumque Testamentum interdicit, 5. Petrus sanguini & merito Christi redemptionem nostram in solidum adscribit: Papa infinitas ferè vias ad salutem monstrat. 6. Petrus docet nos à peccatis non auro vel argento liberari; Papa in Indulgentis suis putidissimis peccatorum remissionem auro venalem prostituit. 7. Petrus Christum semel oblatum docet; Papa quotidie, cum vult, in missa theatriâ offerri. 8. Petrus præscriptis certis præceptis conjugium commendat: Papa ut impurum vivendi genus in unctis & rasis suis missificatoribus illud damnat.

151. Conclafum itaque esto, Pontificem Rom. Petro neque loco, neque doctrina, neque officio, neque vitâ neque studiis aut moribus succedere; sed pro eius successore, & inde pro fundamento & capite Ecclesiæ à toto Christiano orbe haberi, planè scelerato factu postulare.

152. Demonstratum est hæcenus, quid Papa Rom. non sit, nempe, quod neq; sit caput Ecclesiæ, neque fundamentum, neque monarcha: Quæritur nunc ultimo loco, Quid igitur sit?

153. In trepidè respondemus: Quod sit ipsissimus ille Antichristus magnus, in veteri pariter ac N. Testamento à Spiritu sancto prædictus. Dani. l. 11. & 12. Matth. 24. v. 23. & seqq. 2. Thes. 2. v. 3. & seqq. Apoc. 13. & 17.

154. Quanquam enim ex vi vocis Antichristus dicitur quisquis quocunque modo vel officio vel doctrinæ Christi adversatur, & proinde multi Antichristi à Johanne perhibentur facti. Ioh. 2. v. 18. qui quasi minorum gentium Antichristi dici possunt; Unus tamen aliquis præcipuus & insignis Ecclesiæ vastator & hostis Evangelii κατ' ἐξοχήν à Spiritu sancto tum alibi tum 2. Thes. 2. notatur, diciturque Homo peccati, Filius perditionis

Doctrinæ
Apost. Pe-
tri & Pa-
pæ divere
sisma.

Papa Ro-
manus est
Antichri-
stus ma-
gnus.
Antichri-
sti vox
quid signi-
ficet.

E
tionis

tionis adversarius. Rex locustarum, Bestia, Meretrix Abbadon, Appollyon, Draco; Pseudopropheta Apostata, & deniq; ὁ Ἀντίχριστος Ⓞ, antonoma- sticè. Hujus magni & eximi; Antichristi, multi illi minores, de quibus Johannes loquitur loco allegato, quasi anteaambulones fuerunt.

Vox Chri-
sti bifari-
am sumi-
tur.

Vox Anti-
christus bi-
fariam su-
mitur.

155. Ut enim vox *Christi* bifariam sumitur, interdum, qui- dem κατὰ τι, pro illis, qui Christum unctionis Symbolo & of- ficii typo adumbrarunt. Lev. 4. v. 3. Psal. 105. v. 5. interdum ve- rò & quidem plerumque ἀπὸ λῶς pro vero unicoque Messia, Je- su Christo; ita etiam ejus oppositum *Antichristus* bifariam acci- pitur; ut primùm dicatur de hæreticis vulgaribus qui partim Typicis illis (ut ita dicamus) Christi opponuntur, partim Typi fuerunt illius magni. Deinde de insigni Antichristo, qui u- nus vero unicoque Christo directius opponitur, nempe *Papa Romanus*.

156. Paulus enim loco allegato de Antichristo ex Spiritu Prophetico vaticinans, certis & infallilibus notis ostēdit ne- minem à se designari pro perditionis illo homine, præter istū, quem diximus, *Papam* nempe *Rom.* in quo vaticinium hoc ad unguem tristissimo eventu aliquando sit adimplendum.

Nota An-
tichristi.

157. *Prima nota* recensetur, quod sit *Christi* Ἀντίχριστος Ⓞ.

1.

158. Hæc in *Papam* exactissimè quadrat: sive enim in na- turis sive in officiis consideretur Christus, utrinq; ἀντίχριστος, *vo* habet Pontificem Romanum.

Christus
& *Ponti-*
fex Roma-
nus naturis
opponun-
tur.

159. In naturis quidem 1. Quia verus Deus & homo est; *Papa Romanus* ex pontificiorum hypothesi. (*Gloss. in præfat. Cle- ment.*) *Nec Deus est, nec homo, sed neuter & inter utrumq;* 2. *Christus* in assumptâ carne in omnibus solo peccato excepto fratri- bus factus est similis: *Papa* cum nihil sit nisi homo peccati sese altissimo superbissimoque fastigio super omnes fratres suos effert.

Papa illu-
dit officiis
Christi.

160. Pari scelere ac sacrilegio officiis Christi illudit 1. Et si constar ex sacris literis, solum Christum esse caput & funda- mentum suæ Ecclesiæ; *Papa* nihilominus honorem hunc soli Christo debitum sibi arrogat, caput fundamentum Ecclesiæ, fi- dei

dei magistrum, summum Pontificem sese appellans & jactans. 2. Christus quamvis sua natura Rex, terrenum Regnum sibi oblatum respuit; & quo fieri potuit modo declinavit, spirituale regnū suum, minimeque ex hoc mundo esse, professus; Pontifex contra minimè contentus jure spiritualis sceptri in Ecclesia, quod sibi per summam injuriā appropriat, sed arreptā insuper terrenā potestate, omnibus regibus terræ, ipsoque Cæsare tanto majorem se esse gloriatur, quanto Sol major est lunā: cumque Christus Cæsaris administro & procuratoris se judicandum stiterit, Pontifex ipsos Cæsares tanquam leones & dracones pedibus subjicere ad calcare non veretur. 3. Christus honorem sacerdotii non nisi æterno æterni patris decreto assumit & inivit Heb. 5. Papa utrumque; tūm Levitici tūm Melchisedeciani Sacerdoti, dignitatem *αὐδαίετος* arripiens, infinitas sacerdotum secundariorum cohortes, quotidie ordinat, inaugurat, confirmat. 4. Christus Leviticarum ceremoniarum umbras corpore suo & ipsa veritate sustulit, Pontifex illas revocat, insuperque Ethnicarum cordium teterrimo quodam quasi cinno cumulat & conspurcat. 5. Christus corpus suum tanquam sufficiens *λύτρον* pro omnium hominum peccatis semel obtulit in arā crucis, ut per mortem illam mystici sui corporis membra vitam haberent; Papa quotidie pro peccatis hominum exanime quoddam & furfuraceum numen offert & sacrificat, ferroque & flammā in vera Christi membra sævit; ut incruentum illud suum, uti vocat, sacrificium, infinitorum martyrum sanguine esset cruentissimum. Cæterum quomodo cætera Christianæ doctrinæ capita destruat Papa Romanus, Christi que sacramenta contaminet, sigillatim hic annotare, nimis longum foret.

161. Altera nota est: & effertur adversus omnem, qui dicitur Deus aut numen. 2. Thes. 2. 4. Papa hac notā se insignitum esse evidentiſſimè demonstrat, quando non tantum super omnes in universum magistratus, quos Deus propter officii dignitatem & majestatem Dei appellatione dignatus est, sese

2. Notā
Antichri-
sti.

E 2

extollit

extollit: sed etiam impia sua decreta longè sacrosanctis omnipotentis Dei oraculis præfert, quibus se derogare posse blasphematur. Hinc egregià ista elogia. *Totius orbis Papa tenet principatum.* Gloss. in cap. periculoso de statu Regularium in 6. *Totius orbis præcipuam tenere voluit potestatem.* Proœmium in 6. *Papa Romanus habet utriusq; potestatis, temporalis & spiritualis, Monarchiam c. 2. de re iudicata.*

3. Nota.

162. Tertia nota est ledis designatio; *Sedebit in templo Dei*, scilicet non manufacto, sed in Ecclesia, quæ est domus Dei viventis: *ibi dominatur tanquam Deus*: Quæ nota etiam optimè quadrat in Papam Romanum. 1. Quia nomen Dei sibi tributum patitur in quovis monumentorum genere; inde blasphemum illud distichon arci triumphali inscriptum;

Oraculo vocis mundi moderaris habenas,

Et merito in terris crederis esse Deus.

Papa servus servorum.

Dist. 96. cap. Satis evidenter: *Quem constat* (loquitur de Papa) *à Constantino Deum appellatum.* Steuch. de donat. Constant. *Audis summi Pontificem à Constantino Deum appellatū, & habitū pro Deo, hoc autem factum est, cum eum præclaro illo edicto decoravit, oravit uti Deum, uti Christum & Petri successorem, divinos honores ei, quoad potuit, contulit, velut vivam Christi imaginem veneratus est.*

163. Inquis, Papam se nominare *Servum servorum*, Ita est: verum appellatio ista degeneri Noha nepoti in symbolum maledictionis olim indita, Gen. 9. atque ab hoc nequissimo Diaboli mancipio usurpata, factum ejus non minuit, sed hypocrisis auget.

164. Deinde quia re & opere sibi divinam majestatem arrogat, quando supra Ecclesiam sese extollit, sibi que potestatem verbum, quod non est Dei, faciendi verbum Dei adscribit. Sic decretales Epistolas, quæ canonicæ non sunt, ipse facit canonicas *distinct. 19. in Canonicis.* Transgressores quoque suarum legum gravius punit, quàm eos, qui Dei leges violant. c. *Si Romanorum, eadem.* Unde patet eum plurius facere suum verbum, quàm Dei. Ideoque revera supra Deum ipsum sese extollit, sibi ejusmodi potentiam adscribens, quam Deus sibi non tribuit

tribuit. Gloriat^{ur} enim se posse de injustitiâ facere justitiam,
c. quarto de translac. in glossa; Idem quoque Ecclesia patrum no-
strorum memoriâ judicavit: Pontifices Romani affectant domina-
tionem & divinitatem, ut ab omnibus non aliter, imò magis (NB.)
quàm Deus timeatur. Denique Deus solus transfert regna, con-
donat nobis peccata, habetque omnem potestatem: Sed hæc om-
nia etiam Papa sibi adscribit. 1. quia ademit Cæsari potesta-
tem confirmandi Papam, *Platinâ in vitâ Bened. secundi*: 2. quia
omnes reges ipsumque cæsarem sibi subjecit: *De Maioritate*.
C. unam sanctam. De consuetud. c. primo. 3. quia Papa potest trans-
ferre imperium de gente in gentem. *de re iudic. c. pastoralis in*
clementinis 4. quia jactitat, se idem cum Christo tribunal habere
voluntatem suam juris & æqui normam esse, se peccata pro
authoritate condonare, etiam Angelis imperare &c. *Distinct.*
40. C. si Papa Decis. Rot. e. Franc. de Ripa, Philip. Decius. Bulla Clement.
5. &c.

155. Tertio, quia Papa symbolis suis se terrenum Deum of-
fendat; quomodo nim. per coronam suam triplicem, quam
Itali regnum vocant, Sacrosanctam Trinitatem hisce in terris
representari asserunt ejus parasi ti *Gloss. Decret. cap. Antiquorum*
extra de perit. & remissi. & alibi,

166. Quarto, quia honorem divinum sibi arrogat, dum re-
ligiosam sui adorationem, ab ipsis etiam angelis repudiatam,
omnibus imperat. dum summos terrarum principes ad spur-
cissimorum suorum pedum oscula abigit, dum in auratâ sellâ
sublimis; subcollantibus cardinalibus vel si adsunt, Cæsare &
Regibus, gestatur ad eundem planè modum, quo olim à Levitis
gestabatur Arca fœderis, cui ipsum nomen Jehovæ, frequen-
ter tribuit scriptura *Innocent. 3 de miss. lib. 1. cap. 5.*

167. Quinto, Quia in specie quoque suprâ Christum sese
extollit, dum leges à Deo latas refigit, ut suas figat, dum Sacra-
mentorum & efficaciam exhaurit, ut suis fictitiis infundat:
dum authoritatem & interpretationem S. scripturæ à se pen-
dere dicit; dum se contra Apostolos & Evangelistas, adeoque

E 3 , contra

contrà ipsum Christum & Spiritum S. ejus dispensare posse affirmat, dum conscientias à jugo legis divinæ per Christum liberatas, suarum legum laqueis constringit; dum, explosa Evangelii doctrinâ, traditiones hominum & Dæmoniorum doctrinam supponit, prædicat, inculcat. Innocent. 3. c. proposuit extrâ de concess. præbend. & gloss. ibid. dist. 19. c. si Rom. Pontif. & c.

4. Nota
Antichristi.

Col. 2. v.
21.

5. Nota.

168. *Quarta nota est; Quod Antichristus iam tùm primitiva Ecclesie temporibus mysterium iniquitatis sue peragere cepit.* Atque hoc verè dici potest de Papa Romano, ejus regno, ac doctrinâ; quandoquidem PseudoApostoli adhuc temporibus Apostolorum summum salutis nostræ articulum insectare ac depravare, libertatemque Christianam labefactare inchoabant, atq; ita prima nequitix & Apostolicæ sedis Romanæ fundamenta ponebant.

169. *Quintam notam constituens Apostolus; Venturum (inquit v. 9. cum operatione Satane. Is enim junctis suis cum Antichristo fraudibus, impensè negotium, hætenus per multos annos gubernavit, larvarumq; suum Cacodæmonem cum splendida miraculorum, ad decipiendum mirè compositorum, pompa in hanc mundi scenam plenariè produxit, & in summam flagitiosi regni sui arcem collocavit.*

6. Nota.

170. *Sextam notam hanc assignat; quod Spiritu oris Domini sit conficiendus v. 8. quod etiam clarissimo eventu illustratum; quando annis superioribus B. Lutherus cœlesti ac divinâ virtute corroboratus larvam Romano Antichristo per vocem Evangelii detraxit, vulnusque insanabile meretrici Babylonice inflixit: nec tamen totam excidere debuit per gloriosum Christi adventum funditus abolendam.*

Errores.

171. *Errant denique circa hunc locum etiam in multis aliis Pontificii. 1. quando docent Antichristum fore hominem numero unum. 2. Oriundum illum ex Judæis & quidem ex tribu Dan. 3. Judæorum Messiam futurum instauraturumque religionem Judaicam. 4. regnaturum Hierosolymis annis tribus & dimidio. 5. Cum Enoch & Eliâ pugnaturam. 6. in monte*

monte oliveri adscensum in caelos parantem, à Christo inter-
ficiendum. Sanè à Christo in extremo iudicio aeternâ
morte mulctandus & penitus abolendus est.

*Quod ut citò fiat, devotis animis pre-
camur.*

F I N I S.



*Ad eruditissimum Dn. Respondentem ami-
cum meum singulariter colendum.*



*Hic tua res agitur. quid ringeris? ater & atrox
Papa, quid iratus turgida colla moves?
Fige pedem precor hinc paulisper & ora resolve.
Dic quis es? & dicto nomine dignus eris.
Eugene te verum pingis caput Orbis in urbe
Quo pia gens pendet tota dicata Deo?*

Tene Patrum summum Patrem, summumq; Monarcham,

Rectorem populi, Pontificemq; vocas?

Sedis Apostolicae Praefectus, Episcopus unus

Et Domini custos expetis esse domus?

Sic est. At non sic: aures hinc arrige, pauis

Te volo; te talem quis iubet esse? Deus?

Falleris. Est nostrum, Christus, caput, unus. At unum


Vivus anne solet corporis esse caput?

*Bellar. 22.
2. cap. 31.*

22

Ergo qui es? monstrum, meretrix Babylonica, mendax,
Antichristus, Ovis dilaniator atrox.
Quid reboas? Petri quod sis Symonista? Sophista?
Quod Petrina simul Petra? ruina reor.
O scelus è caelo zeloremovebere verè
Supplicium tandem iure perenne lues.
Sed valeas. Alius te contra fortius ibit,
Te Friderice volo, te Friderice voco.
Quo tua non animi virtus generosa subinde
Nititur? alta petit, serpere nescit humi.
Bellerophontæ tu latus athletæ Palæstræ
Existi: genii dexteritate vales.
O bene. Concessit vires tibi mentis Iova,
Profereas, Papæ tela retunde tui.
Sat scio. Non semel hunc aggressus es acriter hostem
Vicisti, vincas, Dæi brachia feres.

Scribebam
Tobias Cuno Magdeburgensis.



99 A 6935

ULB Halle 3
005 360 463



TA -> OC







PARTITIONVM
 Theologicarum
 DISPUTATIO XXX,
 De
 CAPITE EC-
 LESIÆ ET PONTI-
 CE ROMANO IN SPECIE.
 clutâ & Florentissimâ Academiâ Witteber-
 gensi proposita,
 PRÆSIDE
 IACOBO MARTINE
 Professore publico:
 Respondente
 RIDERIGO SENGEBÄHRO
 Cellensi Saxone.
 Ad diem Septembr. Horis locog,
 consuetis
 Sumtibus Clementis Bergeri
 Bibliopolæ Wittebergensis.



ANNO 1611.

